



# The Holy See

---

BENEDICTVS XVI

**EPISTULA DATA**

**PAULO S.R.E. CARDINALI POUPARD,**

**PONTIFICII CONSILII DE CULTURA PRAESIDI EMERITO,**

**NOMINATO MISSEO EXTRAORDINARIO**

**AD XXII CONGRESSUM MARIOLOGICUM MARIANUM INTERNATIONALEM**

*Venerabili Fratri Nostro*

*PAULO S.R.E. Cardinali POUPARD*

*Pontificii Consilii de Cultura Praesidi emerito*

Si quidem annorum decursu singularem pietatem peculiaremque cultum Virgini Mariae tribuere in orbe terrarum fideles consueverunt, id insigne apud Lapurdense sanctuarium copiosius evenire novimus, quo turmatim homines confluere solent animi corporisque beneficia petitori. Ibidem enim Immaculata Virgo apparuisse perhibetur quaedam necessaria monita cum significaret, ut, transitoris rebus posthabitis, aeterna sine cunctatione peterentur.

Perpetua singularisque illa pietas, qua erga sanctissimam Iesu Christi Matrem fertur Ecclesia, impellit ut quam amplissime ipsa cognoscatur et theologicis investigationibus confirmetur. Quapropter diebus IV-VIII mensis Septembris XXII Congressus Mariologicus Marianus Internationalis agetur, in quo de ipsa Deipara praeclarorum doctorum perspicua erit inquisitio, variis de Ipsa argumentis diserte agitatis.

Decet igitur et admodum convenit ut congressus hic congruenter optimoque iure extollatur. Ipse enim copiam dat et facultatem non de Mariali doctrina dumtaxat disserendi, verum animos ad ferventiorum religionis sensum, firmiorem fidem certioraque proposita permovendi.

Quocirca ut congressus hic magnificentius evolvatur, mittere aliquem eminentem virum statuimus, qui partes Nostras sustineat et personam agat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster,

cogitationem convertimus, qui prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, Missum extraordinarium renuntiamus et constituimus, qui congressum illum rite praesideas.

Universis igitur dissertatoribus, participibus auscultatoribusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes et cohortationem ad mariale studium significes. Omnibus Nostro nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et supernarum gratiarum nuntiatrix.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Iunii, anno MMVIII, Pontificatus Nostri quarto.*

**BENEDICTVS PP. XVI**

© Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana

---

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana